



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nucleus Juris Canonici

Thenhaven, Bernhard

Coloniæ Agrippinæ, 1739

XIV. De Clericis pugnantis in duello. D. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63382)

DE TORNEAMENT. ITEM DE CLERIC. PUGN. &c. 581
quidem questio in arbitrio judicantis est,
pœna verò persecutio non ejus voluntati
mandatur, sed Legis auctoritati reserva-
tur; quamvis ob causas v. g. ratione æta-
tis, sexûs, diuturni carceris &c. pœna
mortis aliquando mitigari possit, de qui-
bus Criminalistæ.

TITULUS XIII. XIV. & XV.

*De Torneamentis; Item de Clericis
pugnantibus in Duello; & de
Sagittariis.*

I. **P**ER TORNEAMENTA, Germanicè *Thur-*
nier, h. t. veniunt hastiludia seu ludi,
in quibus milites vel Nobiles equestres ad
ostentationem virium ac peritiæ tractan-
dorum armorum congregiuntur. Si fiant
cum adjuncto mortis periculo, v. g. cum
lanceis acutas cuspides habentibus, c. i. h. t.
„prohibentur, & in torneamentis mor-
„tuo, non quidem pœnitentiam, sed sepul-
„turam Pontifex negari jubet. Verùm si
fiant citra mortis periculum, v. g. cum ha-
stis sine cuspede aut hebetibus ensibus; vel
cum hastis & armis non se invicem, sed
suppositam statuam, petendo, sunt laicis
permiffa. Huc etiam pertinet agitatio tau-
rorum aliarumque ferarum in Hispaniis
usitata, de qua pariformiter loquendum.